

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.

B. C. D.

DISSE¹⁸TATIO INAUGURALIS MEDICA

S I S T E N S

MEMORABILEM
CASUM IN VIRGINE

DE

EMOLLITIONE OSSIUM
C U M
EPICRISI

P R O

G R A D U D O C T O R I S

L E G I T I M E C O N S E Q U E N D O

D I E X X V I . A U G U S T I M D C C L X X V .

H. L. Q. C.


S O L E N N I T E R D E F E N D E N D A

A

F R I D E R I C O G U I L I E L M O F R I E S

N E O S T A D I A N O A D H A A R D A M .

A R G E N T O R A T I
S T A N N O K Ü R S N E R I A N O .





PROCÆMIUM.



MAGNA fane prorsusque admiranda extant Naturæ Mysteria, quæ quantum fieri possit, nosse, unumquemque mortalium supra vulgus sapientem, omnium omnino vero sincerum Artis salutaris cultorem maxime interest, BENEVOLE LECTOR! Quis enim, quæso! magis quam idem ille, qui experientia quotidie edoctus, vires corporum penitus cognoscendi ansam habet, ad hoc negotium sibi vindicandum, lege quasi naturali obstrictus est? — Quis eodem pluribus gaudet adminiculis, ad intelligendas immutabiles Naturæ leges, rationesque Phœnomenorum eruendas? — Quis tandem ipso majori lætitia, magisque religioso Divini Numinis cultu perfundi potest, in perspiciendis

A

Naturæ arcanis? — Quæ cum ita sint, ut nec ullum
inde redundet dubium, tam Divinæ scientiæ addictum
cultorem ter quaterque beatum esse, existimo.. Omni-
bus enim perspectum est, ex trium Naturæ regnorum
cognitione omnes ac singulos nostri Terrauei incolas
uberimos percepisse fructus; quo magis autem culta
fuit eadem, eo quoque majorem salutem, eo majora
omnis generis felicitatum mortalia pectora inde con-
ceperunt incrementa. Et quid de singulari, quæ in
cognoscendis Naturæ sacris latet, voluptate ulterius
dicam? — Sane nescio, num major in quavis alia
scientia latere possit, aut tanta in ea existat, quæ
cum nostra esset comparanda. Excurrere hic quidem
in Artis Medicæ laudes ejusque campum emetiri am-
plissimum, à meo scopo nimis foret alienum. Verum
enim vero non nihil ex animo quæsto! consideres cor-
poris humani fabricam, in diversis subjectis diversam,
quam mysteriosa oculis sese offerent tuis? Quam mira
ibi deprehendes sapientis Naturæ opera, quibus ani-
mum pascas? — Quid? Nonne magis in admirationem
te rapiet hujus Fabricæ simplicitas, quam constituit,
quam temperavit simplicissima Naturæ via. Machina
enim ex innumeris partibus composita, suo ut apta
evadat fini, nil admiratione digni habet, ea vero (si
corpus humanum cum machina conferre licet) quæ
undique summae simplicitatis prodit vestigia, ea inquam:

omnem attentionem, omnem admirationem meretur.
Hanc simplicitatem demonstrat primum, in quo funda-
menta futuri hominis latent abscondita, rudimentum,
quod juxta IMMORTALEM HALLERUM molle gluten
constituit; quo ex fonte demum temporis tractu omnes
corporis partes promanant. Ipsissima ossa, durissimæ
animalium partes, nequidem plus soliditatis in prima
origine habent, quæ tamen postea tantam firmitatem,
tantum robur acquirunt, solidissimas corporis partes
efformatura. Quid itaque impedit, liquamen cum
quondam ossa fuerint, quominus, redeuntibus iisdem
conditionibus, in idem reducantur? Atque hic solidorum
in substantiam fluidam redditus meam sèpius excitavit
attentionem. Hinc soluturus ea, quæ Medicinæ Can-
didatus pro summis in Medicina honoribus praestare te-
netur, speciminis inauguralis loco de Acrimonia Hu-
morum quadam differere mecum constitui, cum hæc
hujus redditus vera causa esse videatur. In hoc autem
proposito animum confirmabant meum varii morbi, à
varia humorum acrimonia orti, quos DUCE ILL. VIRO
D. P. PFEFFINGERO, OPTIMO PRÆCEPTORE, cujus im-
mortalia in me merita nulla unquam delebit oblivio,
per integrum annum ad ægrotorum lectulos conspice-
re, & in illorum causas inquirere licuit. Qua occa-
sione cum mentem meam de Themate pro Specimine
inaugurali EXCELLENTISSIMO VIRO declaraverim, hic

plures notabiles satis observationes mihi recensuit, quas, dum publici Anatomiae & Chirurgiae Doctoris gessit munera, multis in cadaveribus animadvertisit, ab acrimonia humorum peculiari deducendas; inter quos sequens casus, quem in Programmate, quo Regimen Academicum A. 1766. indicebat, proposuit, admiratione sane dignissimus mihi visus est. OPTIMI itaque PRÆCEPTORIS confilio & beneficio commotus, hanc observationem pro tenui virium modulo exponere decrevi. Juveni indulgeas quæso, Benevole Lector! & judices velim cum OVIDIO: Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

OBSERVATIO.

Virgo, N. N. ex inferioris fortis parentibus nata, quæ nullam maculam vitæ minus honestæ sibi inuollerat, nullaque venereæ labis, vel contagii similis indicia nec in illa, nec in parentibus, quantum ex ejus amicis cognosci potuit, unquam fuerant deprehensa, à primis incunabulis ad annum ætatis suæ decimum octavum optima sanitatem gavisa est, si inordinatum mensum fluxum exceperis, qui tamen raro contigit; nihilque in ea, quod ratione formæ externæ præternaturale dici poterat, observatum fuit. Eo tempore glandulam suam Thyroideam miro modo expandi vidit. Anxie tum quærens auxilium, opem unguento quodam, cui discutiendi vim tribuit, balneator promisit. Sed quid in-

•

de? Adhibito hocce remedio, multum quidem imminutus fuit glandulæ tumor; sed statim novo morbo, vagis nempe artuum doloribus, pro aëris vicissitudine variis, moderatis quandoque, saepe multum aductis, evanescentibus nunquam, corripi coepit, quos tanta virium prostatio sequuta est, ut non nisi subalari fulcro ingressum facere potuerit. In tristissima hac rerum suarum facie, famosus quidam circulator ante annum cum dimidio, specificarum radicum herbarumque accensarum fumo mirabiliora se præstirum, ægrotantis parenti fidem fecit. Ast non solum hujus specifici usu nullum levamen sensit, sed potius summa artuum debilitas omnem in postea eorum motum denegavit. Post hæc medio mensis Januarii A. 1766. in Xenodochium civile delata, & viribus jam penitus exhausta, ibidem optimis medicamentis nil amplius valentibus, post duorum mensium spatium diem æquo animo obiit supremum. Præter strumam insigneum, quæ ipsius cadaveris caput superavit, & pondus i libræ & 14 lotonum aquavit, summum horrorem statim incussit scabies, per totum corpus, abdome in primis diffusa, & pectus anteriora versus mire distentum, ad latera autem compressum. In hoc cadavere ligamentorum cartilaginumque apparatus auditoribus meis exponere volui, sed deterruit me ab initio foeda hæc corporis facies. Quia vero non aliud supererat cadaver, quo tunc temporis

A 3

finem meum impetrare potuisse, cultrum tandem ad-
movi, trepidante licet manu. — En observatorum in ca-
davere summam! Sanguinem nimiriū dissolutum valde,
feeditissimum & ita acrem, ut secantis manus eroferit;
Ventriculum cum toto intestinorum tractu flaccidum,
innumerisque maculis lividis pictum; Mesenterium in
corneam quasi elasticamque massam, & ipsius glandulas
insignis magnitudinis in substantiam lapideam mutatas;
Vasorum lymphaticorum Myriades, quæ circa vertebra-
rum lumbalium corpora ludere solent, ita duras, ut
dissecando cultrorum anatomicorum aciem laſerint;
Hepar præter naturam parvum, hinc inde tuberculis
induratis obfessum; Lienem insignem in molem expan-
sum; Cor minus alteratum, si volumen parvum excipis,
quod etiam in pulmonibus obtinuit; ast circa bronchio-
rum radices plura detegebantur tubera dura, juglandis
magnitudinem æquantia; Cerebrum non mutatum;
Omnia dentium ossa carie corrupta; Spinam vertebralem
duorum mensium spatio, quo in Xenodochio vixit,
ita incurvatam, ut literæ S majusculæ figuram æmula-
retur; Ossa pubis inter se valde mobilia; Nexus carti-
laginosum ossa innominata inter & os sacrum penitus
sublatum; Cartilagine, quæ costas sterno jungunt,
præter naturam tenues & elongatas, ipsaque costarum
extrema, anteriores ossa, in substantiam molleem carti-
laginosum mutata; Ossa denique pedem extremum

componentia, carie erosa atque exesa. — Totum sceloton, excepto capite, 3 libr. & 23 lotones ponde-ravit.

S. L. in: *De genit. etiisq; medicina*

NULLUM observatur in rerum natura Phœnomenon, quod non suis circumscriptum legibus, à sua quoque causarum potentia dirigatur, atque illa fundatum sit. Sic corporibus, in fermentationem pronis, ea dictata lex est, quod, si obtinent caulæ, illam producentes, illam sustentantes, illamque promoventes, tandem ad summum & ultimum fermentationis gradum perveniant, i. e. in plenariam putredinem ruant. Sic observamus in Physicis, quod corporis motu mutetur & ejus locus & situs; eodem modo continuat hæcce mutatio, continuante causâ motrice; cessat, cessante eadem. Hæcce applies, quæ-fo! ad corpus humanum. Nullum enim in eo datur Phœnomenon, nulla contingit mutatio, nullus existit, nullus sus-tentatur sine causa morbus, quam eruere, quam indagare, id labor, id opus est. — Quis enim rectius & felicius ad veram morbi cognitionem descendet, quam qui improbo labore, sollicitoque animo illius causam indagat & eruit? qua vero perspecta, ipse & perspicitur morbus. Considera, quotquot inde ab initio fuere, Medicos, num alia ad hanc cognitionem per-venire via? — Hoc fundamento nititur salus curationis uni-versa. Hæc est regia illa incedendi via, quam Pathologorum princeps, **ILL. GAUBIUS** a) egregie commendat: „Quicquid



„ in morbo est, inquit, in causa ejus inveniri debet; utilissima
 „ ma ergo & maxime necessaria causae indigitatio habetur.
 Tandem concludens expressis adjicit verbis: „ Ea demum solida
 „ est morborum cognitio, quæ quomodo in suis singuli de-
 terminatis causis consistant, demonstrat. „ Quodcum tam
 certum sit, quam quod certissimum, officii suadet ratio, ut
 incumbam prius indagationi causarum, non inimemor eorum,
 quæ ILL. VIR modo laudatus, pulcherrime monet b) „ Medi-
 cis suo loquendi more causæ titulo venire id omne, quod
 quocunque demum modo ad morbi generationem concurrit,
 sive ut vera causa, sive ut hujus pars, aut conditio, sine qua
 non. „ Ex his itaque evidens fit causarum multitudo, quæ
 junctæ, quæ conspirantes, causam proximam, & ita ipsum
 morbum constituent. Universa hinc percurrenda morbi histo-
 ria, & cauto indagandum scrutinio, quis causarum in hac
 ægrotia fuerit concursus; quæ mutata, quæ aucta fuerit, aut
 quibus prius positis, novæ quædam accesserint. De singulis
 ex ordine dicam, & quidem primo de sublato menstruorum
 ordine, qui ad morbum producendum suam contribuit sym-
 bolam.

§. II.

Nostra ægrotia à primis incunabulis ad annum ætatis suæ
 decimum octavum optima fruebatur sanitate, si inordinatum
 mensium fluxum exceperis, qui tamen raro contigit. Hæc
 res est, quæ prima jecit morbi producendi fundamenta. No-
 tum

a) Inst. Pathol. §. 67. pag. 29.
 b) I. c. §. 61. pag. 27.

tum enim est, omnes evacuationes periodicas, si vel non rite procedunt, vel plane deficiunt, semper inimici quid Naturæ, noxiæ corpori secum ferre. Ad eam nunc legem sequior damnatus est sexus, ut in statu naturali lunare solvat sanguinis tributum. Pone autem hunc fluxum vel inordinatum, vel plane suppressum, licet ille sanguis alias erumpens, purissimus sit, Teste HIPPOCRATE c) quantane inde nonnunquam exsurgunt malorum portenta, numero vix comprehendenda? — Omnes enim secretiones vim quandam peculiarem desiderare, cuius ope humores ita præparentur & subigantur, ut ex ostiis arteriarum, per quæ fit secretio, justus & legitimus liquor deponatur, egregie enarrat PHYSIOLOGE. Si nunc fecernendus ille liquor per ostia arteriarum exire debet, ne ille prætervehatur, sed in loca sibi destinata legitime secedere possit, requiritur debilis arteriarum vis, humorum circulus certis debet circumscribi limitibus, ut hæc Naturæ actio rite possit absolvî. Inde & appetat, quod in somno, ubi circulatio pacata, ubi ab objectis externis nullas affectiones patitur corpus, ubi omnes ejus partes animæ imperio subjectæ, quietæ manent, imo quod in amœbiposis ipsius animi tranquillitate secretionis opus optime perficiatur; quâ turbatâ, motu corporis nimis exercitato, & omnibus mutationibus, circulum nimis augmentibus, liquidum,

c) De mulier. morb. L. I. cap. 9. CHARTER. T. VII. pag. 735. „Sanguis, „ inquit, prodit, qualis è victima, citoque concrescit, si mulier sana „ est. „ Quam sententiam confirmârunt & reliqui Autores plurimi, qui optime scripsere de mulierum sanitate & morbis. E. gr.

MAURICEAU *des maladies des femme grosses* T. I. pag. 54.

ASTRUC *Traité des malad. des femmes* T. I. pag. 23.

¶ o

quod deponitur, legitimam non possit habere naturam. Recte ideo concludas, quod quicunque motus extraordinarii justum in corpore perturbent secretionis negotium. Maximum pondus huic sententiae addit CELEBERR. HOFFMANNUS d) „Firma, inquit, & perpetua Nature lex est, quod omnes motus & functiones in universo corpore tranquille & placide peragantur. Quotiescumque vero illæ paulo vehementius agitantur, protinus insignis turbatio motuum & functionum animi accipit corporis subsequitur. „ Sed quid sit, clauso menstruorum rivo? Augetur tunc temporis humorum massa, & exsurgit Plethora; quo facto, nulla amplius justa fluidorum ad solida obtinet proportio, & quid inde? Nonne major adest stimulus quem major & frequentior cordis excipit contractio? Nimis itaque cum impetu sanguis influit in cor, quod stimulatum eodem cum impetu sese contrahit, sanguinem ulterius promovendo; cordis enim actio stimulus, quem accipit, nunquam non proportionalis deprehenditur. Quanta ergo cordi est adhibenda vis? Quantæ superandæ resistentia, omnem istam sanguinis columnam, in toto haerentem systemate, propellendo? Sanguinis itaque non potest non laedi circulus, laesa cordis actione, inde & laeditur admirandum secretionis, nutritionis & assimilationis negotium. Quam ob rationem egregia quoque placent MAGNI HALLERI e) verba: „ Solus nimius Cordis impetus omnes secretiones confundit „ Quam vero ita excentur cordis actiones, quum ita secretio, & quicquid inde redundat, offenditur; quum demum corpus, in quo evidenter regnat irritabilitas, ejusmodi injuriis afficitur, quæ ulteriores inde

d) MED. RAT. SYSTEM. T. H. part. I. Cap. V. §. IX. pag. 115.

e) PRIM. LIN. PHYSIOL. §. CCXXII. p. 93.

❧ ○ ☈

nascuntur sequelæ? Has egregiis depinxit coloribus ILL.
GAUB. f) dicens: „Naturis irritabilibus levis humorum excel-
„sus pro stimulo est, cuius dum sentiunt molestiam, in mo-
„tus inordinatos riunt, ut amoliantur, & semetiphas, pro-
„ductis incassum viribus, fatigant. „ Hoc itaque modo fractis
naturæ viribus, turbatâ corporis œconomia, degenerant tan-
dem humores, corruptitur sanguis & Cacochymicus evadit:
Unde non inepte dixit HELMONTIUS g) de menstruo agens:
„ Primo peccat abundantia bona, dein superfluitate onerosa,
„ mox privatur vita, & virtus evadit. „ Hanc rem in posterio-
ribus confirmatam habebis.

§. III.

Aliud nunc scena offert spectaculum; Glandulæ nimirum Thyroideæ, quæ horrendam in molem excrevit, vitium in considerationem vocandum se sifit. Huic malo foeminas magis viris esse obnoxias, ILL. MORGAGNI h) exclamat. Huic sententiæ eo magis adstipulaberis, quam ostendero, quod, teste experientiæ, dignissimam magnorum virorum fide, talium tumorum initia turbato menstruorum ordini suam in genere debeant originem. Quod autem in nostra ægrotâ glandula Thyroidea in tumorem fuerit elevata, inde derives, quod præ reliquis ad tumorem concipiendum fuerit disposita. Sic adi ILL. SWIETENIUM i) invenies, illum suppressum mensium flu-
xum, tanquam hujus mali originem accusare. Ad hanc rem

f) I. c. §. 391. pag. 183.

g) IN CAPITULO LUNARE TRIBUTUM pag. 584.

h) DE SEDIB. ET CAUS. MORB. &c. Epist. L. Art. 37. pag. 256.

i) COMMENT. IN BOERHAVE &c. T. I. §. 485, pag. 850.

illustrandam, ILL. VIR mentionem injicit ^{et}) alicujus rusticæ,
quæ sana hactenus circa quadragesimum sextum ætatis annum
subito, suppressis menstruis, ægrotare incepit; & postea in cada-
vere Melenterium, Pancreas, Ventriculus, Pylorus scirrhosa
fuere inventa. Evolve HOLLERIUM ^{I)} deprehendes hanc sen-
tentiam, observationibus confirmatam: En ejus verba ita sonan-
tia! „ Se uno anno plus quam ducentas vidisse puellas, quibus
„ medio vere, non satis exeunte sanguine menstruo, tumo-
„ res in inguinibus nascebantur. In nostra ægrotæ simile ob-
tinebat vitium, similis & sequebatur effectus. Undique enim
scatebat sanguinis abundantia corpus, quod illi ubique quæren-
ti auxilium, non ubivis resistere potuit; in ea itaque sese dese-
rebat loca, quæ minimam ipsi opposueré resistantiam. Sic san-
guis altiora petens, in glandulam Thyroideam sœviit; Quo-
facto, expansa ultra modum subtilissima glandulæ vasa, intri-
catissimo modo ibidem ludentia, admittebant sanguinem non
admittendum; & quid inde? Admissus semel stagnabat ibidem,
ponebatur extra circulationis territorium, distendebantur tunc
folliculi glandulosi ab ingressa materie, oriebatur tumor; san-
guis vero à tergo veniens, stagnantem materiem, omnes licet
intenderit nervos, ad hanc resistantiam superandam, ulterius
propellere non valebat, quippe ob nimiam distensionem vaso-
rum actuosa vis erat debilitata, ut in illarum materiem agendo,
cunei instar intrusam, ad ulteriora promovere loca non potue-
rit, ut cum reliquis humoribus pristinum legere possit circu-
lum. Cum nunc privæ indolis liquidum præparandi & fecer-

^{et}) I. c. T. I. §. 484. pag. 849.


^{I)} COMMENT. 2. in libr. III. COAC. HIPPOCRAT. n. 40. pag. 346.

nendi hujus glandulæ officium sit, addidit Natura vasa exhalantia & inhalantia, sive resorbentia, ut superfluum ibi depositum liquidum ab hisce vasis iterum reforbeat, & communis sanguinis massa amandetur. Sed quid fiebat? Tenuissima modo parte resorpta ab osculis venosis hic patentibus, relinquebatur crassior, quæ sensim sensimque accumulata & crassitie aucta extendit glandulæ structuram, compressit vas per glandulam migrantia, unde tumor & durities ab infarctis vasis, & coagulatis ac inspissatis ibidem liquidis. Necesse itaque fuit, ut augmentum caperet tumor, & materies ibi hærens, ibique collecta, lapsu temporis corruptionem pateretur; id quod egregie perspexit ILL. GAUBIUS m) dicens: „Stagnatio nasalium ex æquabili mixtione blanditiem tollit, inde promptuarum rixæ acrimoniae in partibus singularibus oriuntur, quæ noxas quoqua verum diffundunt. „

§. IV.

Quem Tumorem cum animadverteret puella, anxia quærebatur auxilium, quod in Balneatore proh dolor! Invenisse credebat. Maximâ cum eloquentiâ suum hicce commendavit unguentum, cui discutiendi vim tribuit; Quo nunc adhibito, alia aparuere Phœnomena, mala cumulabantur malis, symptomata antea mitiora, nunc evasere crudelissima; Corripi nimirum cœpit vagis artuum doloribus, pro aëris vicissitudine variis, moderatis quandoque, saepe multum adactis, evanescentibus nunquam. Hujus Phœnomeni rationem explicare, non est difficile. Materies enim glandulam Thyoideam obstruens, tumo-

m) I. c. §. 304. pag. 142.



remque efficiens , suo quidem abacta fuit loco , ut & tumor
 subsidere inciperet ; Sed ex illo tumore pessimi generis parti-
 culæ , in alveum sanguinis relatae , nullam expertæ sunt corre-
 ctionem , intacta relinquiebatur humorum massa , nulla daban-
 tur emendantia sanguinem remedia , hinc acres & corruptæ
 illæ particulæ in magno restitantes humorum Oceano , ad artus
 se deferebant , & illorum periochia compungentes & vellican-
 tes , dolores produxeré gravissimos . „ Dolor autem nascitur ,
 „ ait ILL. GAUBIUS n) cum partes sensiles vi externa interna-
 „ ve , ultra quam commode ferre queant , distrahuntur , aut
 „ percutiendo , contundendo , comprimendo , stringendo , con-
 „ torquendo , vulnerando ieduntur , aut denique acri vario
 „ stimulantur , roduntur , uruntur . „ Quod autem hæc res
 ita sit , vel ex eo evidens fit ; quam diu enim glandulæ tumor
 in suo perficit statu , quam diu relinquiebatur intactus , tam
 diu & à crudelissimis & vix perferendis artuum doloribus de-
 fensa ac servata erat puella . Quam primum autem , adhibitis
 importune externis remedii , glandulæ tumor fuerat imminutus ,
 tunc etiam procellæ instar oriebantur artuum dolores , exfur-
 gebantque agglomerata malorum portenta , verbis vix expri-
 menda . Dolores vero , cœlo mutato maximeque humido , fu-
 ille exacerbatos , non miraberis ; sub hunido enim Jove transpi-
 ratio insensibilis non rite succedit , dum aër fluidis undique
 turgens particulis , illam respuit ; Sic ea materies , suâ naturâ
 acris , retenta sanguinis augebat actimoniam , inde & augeban-
 tur dolores . Hos demum tanta virium prostratio sequuta est ,
 ut non nisi subalari fulcro ingressum facere potuerit ægrota .

n) l. c. §. 673. pag. 351.


Quid quæso ! Exinde hauriendum ? Nonne hæc virium prostratio erat dolorum sequela ? Id quod facile perspicias, considerans, quid sub ipso dolore contingat, & perpendens, quæ ILL. VAN SWIETEN o) allegat. Sub ipso enim dolore perpetuum obtinet irritamentum, partem affectam die nocteve afficiens : nulla hinc quies, nullus reficit membra somnus ; audior deprehenditur ad læsam partem circulus, id quod in circulationis systema redundat universum, quid ? Animus in suo sese male habet corpore, ejus miseriam deplorans, quæ omnia fatigant, prosternunt, vires consumunt ; sed majoris momenti indicia secum adhuc ferebat hocce Phænomenon ; Morbosam enim materiem cartilaginibus & ossibus sese jam insinuavisse suadebat, quæ corrumpere, quæ destruere cœpit. Ingressus enim fieri non potuit, nisi fulcro adjutus, quippe ossa, quibus universa superstruitur corporis moles, erant labefactata, suoque robore privata ; Ligamentorum apparatus, cuius ope ossa quæque in suo fervantur situ, resolutioni erat proximus ; Sustinendi itaque machinam facultas erat fracta — fracta solidorum vis, ad functiones rite obeundas per quam necessaria.

S. V.

Leviora autem sunt hæc modo dicta. In tristissima hac rerum ægrotantis facie aliis sese obtulit Jactator, qui mirabiliora se præstirum, ejus parenti fident fecit. Hunc in finem sua extollens specifica, radicum herbarumque accensarum fumum applicandum curavit ; sed omnia frustra, omnia incassum fuere tentata, dummodo res in pejus non fuisset redacta. Novâ hæc

o) l. c. T. I. §. 226. pag. 362.

fraude decepta puella experiebatur, malum presso pede adauictum sumnum attigisse periculi culmen. Quid enim spei, quid auxili, quid salutis ex radicum herbarumque accensarum fumo potuit exspectari ? Nonne perversus fuit boni hujus Empirici finis, qui ad ægrotantis interitum erat intensus ? Sua sit absolute dissuadenda; Ad emollientia tanquam ad sacram anchoram confugit, cum omnia jam præter naturam essent emollita. O ignorantiam ! — Cui atrocissimæ sese junxere sequelæ. Sic membra voluntatis imperata facere, plane reddebantur inepta. Offa, quæ antea adhuc corporis molem sustinendi pollebant facultate, nunc omni destituta robore, huic muneri fungendo in totum evasere imparia ; Sic cessavit legitimus cohærentia gradus ; Sic eorum principia suo privata nexu, suam quoque amiserunt soliditatem ; Sic quibus offa nectuntur, sublata erant vincula ; sic nulli motus, nulli ingressus amplius potuerunt admitti. Cum jam in mortis fauibus deploranda hæreret puella, adiit Xenodochium civile, ubi optima ex fonte Pharmaceutico prompta remedia fuerunt applicita, ast omni successu carentia. Hinc succumbente Natura sequebatur mors, quæ Tragoediæ Catastrophen imposuit exoptatissimam. Discas exinde quæsto ! quæ tristia fata, quas vires, quam potentiam in corpus non nunquam exferat perversa curandi Methodus ; quantis demum calamitatibus, quantis miseriis sese exponant, Empiricis salutem corporis committentes. Sic triste curandi initium tristem & consequitur finem.



17

§. VI.

Labore hic defungor sane difficultimo , proximam hujus morbi causam perscrutaturus. Hæc perscrutatio fôret quidem facillima , si acris ille humor vi principiorum constituentium ita caracterisari posset , ut ossibus absolute amicus , reliquis vero partibus inimicus demonstraretur. Ea vero hominum cum sit , conquerente ILL. HALLERO p.) infelicitas , ut omnis ultima rerum Physicarum Historia parum firma sit , & rerum gestarum memoratrix in mythicos fines terminetur , scrutinium illud maximis premi difficultatibus , inficias ibit nemo. Ast audendum tamen aliquid , & videndum , utrum follicita ratio , fideli experientiâ adjuta , invitæ Naturæ arcanum eripere non posset. Cum omnibus ossibus & cartilaginibus commune sit , gelu esse in principio , operæ pretium erit , exactâ prius analysi in illud inquirere , ad eruenda ejus Phœnomena , in ossibus contingentia , sive sana , sive morbosa fuerint. Est autem illud gelu apta formandæ cartilagini & producendo ossi matres , quippe quæ constituit mixtum ex terra calcarea & glutine fluxiliore. Sic surgit cæmenti genus , si ita loqui licet , ex quo surgunt cartilagine , & nascentur ossa. Glutine autem opus esse , quod ex aqua & oleo per vim animalem intrito , componitur , omnia suadent. Hæc enim terreæ particulæ non à se ipsis , sed ab interposito glutine vinculum habent & cohæsionis gradum. Sic nulla terreas inter particulas locum haberet cohæsio , sed in atomos fatiscerent suos , nisi Proxinetæ ope conglutinarentur , & ita cohæsionis gradum ipsa mixtarum mate-

p) ELEMENT. PHYSIOL. CORP. HUM. T. III. pag. 176.


rierum proportio determinat. Ita vidēmus, os animale fragile ab educto glutine, redditā eā gelatinā, robur osseum recuperare; uti ergo ossium robur deperditur, deperditā illorum gelatinā; Sic & destruitur, destruktā illorum terrā. Quod autem cartilagines & ossa in principio nil nisi gelatinam referant, patescit consideranti foetum, qui non legitimū in utero fecit hospitium, quia abortu natus est, primo, secundo vel tertio mense, singulæ ejus partes gelatinæ instar tremulæ adhuc deprehenduntur; Cutis nondum tenax est; Digito enim pressa, pressionis relinquit vestigia. Musculi nondum confirmati, nondum colore tincti contemplantis oculo blandiuntur; Non nisi tenuis gelatinā illos tunc temporis constituit. Inter digitos triti Tendines meram in gelatinam diffluent. Cartilaginiæ denique & ossa nil nisi gelatinam magis consistentem representant, quæ si digito premis, non sensibilem tibi dabunt resistentiam. Progressiente vero ætate, ubi cordis actio evadit vividior & insignior, ubi vasa quasi latentia sensim sensimque se magis explicant, in Embryone septem aut octo mensium, magis confirmatae sunt hæ partes, majori consistentiâ, majori gaudent tenacitate; unde clare perspicere licet, quod ex solâ hæc gelatinâ per admirandum organismum animalem, qui omnia ordinat, constituit, temperat, per quem particulae suo quæque aptantur loco, sensim iurgant membranæ, sensim nascantur musculi, sensim orientur cartilaginiæ, demum proveniant ossa. Hæc res exspectavit IMMORTALIS HALLERI q) industriam, quæ indagavit in nascente animali, quomodo ossa formentur. Observavit ille, totum nascentis animalis corpus gluten referre molle,

q) Sur la formation des os p. 252.

adeoque ipsa ossa; gluten autem illud in cartilaginem, hæc dein in os mutatur. Glutinis in cartilaginem promptus & facilis transitus est; Requiri enim tantum videtur major soliditas. Longior autem & tectior via est, quæ cartilago in os tendit. Cartilago, dum tenuis imprimis est, pellucet; Primum ossificantis cartilaginis signum est opacitas & color flavescens, simulque incipit apparere fibrosa compages: Octavo incubatus die hæc mutatio cernitur. Decimo die sanguinis rudimentum apparet, colore flavo sepe manifestans; Undecimo die rubedo adeat; Et eadem pars cartilaginis, quæ incipiebat opaca fieri & flavescere die octavo, rubescit die undecimo; Dilatatis jam sic arteriis, ut rubras sanguinis moleculas transmittere possint; eodem tempore & ossa durities in eodem cartilaginis loco observatur. Auctæ magis magisque arteriæ vicina premunt, consolidant, dum à sanguine dilatantur, simulque aptiores evadunt, ut crassiora transire possint, imprimis terra, quæ sic cartilagineæ substantiæ interposita, duritiem addit & fragilitatem, flexibilitatem ejus minuit, unde ex flexili & elastica cartilagine durum & fragile os nascitur. Hæ autem illius gelu in ossam naturam Metamorphoses cum pededentim fiant, ideo etiam inter primum illud osseum rudimentum & os ipsum, ob conditiones perpetuo mutatas, variam observamus naturam. Hinc materiei hujus ossæ gradationes exactius adhuc determinat ILL. AUCTOR mox citatus r) dum illam primo *caseosam*, deinde *callosam*, dein *coriaceam*, demum *osseam*, nuncupat. „ Quare constat, „ egregia sonant ILL. GAUBII s) verba, partium corporis hu-

r) Element. Physiolog. T. VIII. pag. 316.

s) I. c. §. 146, pag. 62.



» mani materiaturam ubique eandem esse , eadem elementa ;
 » Differentiam vero diversæ horum proportioni deberi . Abun-
 » dans siccum cum paucō humido firmitatem efficit ; Fluorem
 » contra opposita utriusque mixtio . Nec aliter dura pars à
 » molliori , aut humor crassus à tenuiori discrepat . Sic &
 loquitur ILL. VAN SWIETEN t) „ Soliditatem ossium pendere
 » à terrā , debitâ proportione admistâ ac adunatâ ; Et si illa ter-
 » ra tollatur , tunc os mutari in cartilaginem elasticam scissi-
 lem . „ Sic vides , durissima ossa ; elasticas cartilaginiæ , cruo-
 rem spissum , tenerrimas membranas , subtilissima fluida , quo-
 rum negatur existentia , eandem compositionem , eandem mix-
 tionem habere ; unice diversæ sunt proportione terræ , quâ gau-
 dent . Fac enim , ut Arachnoidea , subtilissima cerebrum cir-
 cum volvens membrana , eā terræ copiâ abundet , quâ abundant
 ossa , & ossa habebis . Fac , ut carnes accipient terram , quâ sca-
 tet crux , & crux accipies . Fac , ut serum & lymphæ eā præ-
 dicta sint terrâ , quâ gaudet cartilago , ex sero & lymphæ & ean-
 dem habebis . Admiremini Naturæ simplicitatem ! —

S. VII.

Sed unde hic morbus , unde hoc malum ? Quænam est illa-
 vis , quæ hocce producere valet ? — Ad quam acrimoniae spe-
 ciem hæc est referenda ? Multæ sane dantur acrimoniae , qui-
 bus infici possunt corporis humores , quæ vero diversissimæ sunt ,
 & quas omnes hic recensere , nimis fôret prolixum ; Qua de
 causa & eam modo tangam , quæ scopo satisfacit meo . Diffi-
 cile hoc scrutinium multum facilitari credo , si consideramus ,


t) l. c. T. V. §. 1487. pag. 604.

Hanc acrimoniam succo osseo quam maxime esse amicam atque affinem, ut sua vi, quæ de acida participat natura, terram fibras ossreas incrustantem, extrahat. Experientiam velim hic consulas; adeas Autores, qui Duce regia hacc Magistra, quid observarint, loquuntur, quique hunc in finem exempla dedere illustria. Hunc in censum vocanda est MAGNI RUY SCHII u)
fides, cuius egregia in anatomie merita sero laudabit ventura posteritas, quā tradidit, à liquore, in quo costas servaverat, ac diore facto, illas adeo fuisse emollitas, ut funiculi instar con torqueri spiræ in modum potuerint. Sed his non contentus, de ipsa veritate certior & convictior esse voluit; hinc alias in liquore acido macerando, idem vidit, idem observavit; redigere enim potuit illas in formam literarum C. & P. In adversariis autem II. v) à diuturna eadem maceratione non costas folium, sed generatim ossa corporis humani mollia & flexilia ferri, asseveravit; quin & differte adjiciens, in ista verba erupit: „An non & inde ratio liquet memorabilis morbi * quo affecta „virgo in galliis, omnia habuit corporis ossa pastæ ad instar „mollia? — Sed dum in suis illis experimentis costas infantum duntaxat commemoravit, & hīc, eadem respiciens, ossa pu erorum; huc illa addere poteris, ut certior evadat res, ossa ab HUNAULDIO ostensa Academiæ Scientiarum Regiæ Parisinæ

u) THES. ANAT. 6. n. 13.

v) c. 6.

* Admirandus hic casus describitur ab ILL. MORAND: *Histoire de la maladie singulière & de l'examen du Cadavre d'une femme*, pag. 13. 17. Atque morbi historiæ, uti & sceleti, quod in Academiæ Thesauro ser vatur, exacta descriptio habetur in monumentis Academiæ Regiæ Parisiæ. L'an 1753. Mem. p. 541 — 552.



w) quæ macerata aceto sic fuerant emolita ; Et dum ossa illa ex quibus corporibus accepta fuerint , non appareat ; Cum iis conjungas velim , quæ de duobus eburneis cochlearibus eidem Academiæ à CL. VIRIS FAUCHY & GEOFFROI x) relata sunt ; Quorum alterum in lacte diu , & quod consequitur , in lacte acido facto , ex oblivione relictum , flexible ut corium inventum est . Alterum autem , quod parvum erat , & ab Academia ipsa visum , cornu instar flexible & pelucidum factum fuerat , cum remansisset longo tempore in Embammate , quod Mostarda vocatur . Nec minorem attentionem meretur , quod ossa , quæ ostendit HUNAULDIUS , cum per acetum fuissent emolita , macerata in aqua pristinam recuperarint dicitur , in aceto autem illam iterum amiserint . Huic autoritati sese adhuc associat pro pria HALLERI experientia y) En ejus verba ! „ Uti enim glutis „ ne educto , firmitatem ossibus tollimus , ita educta terrâ cal carea ; Sæpe id aceto tentavi , vidiisque ossa in eo acore celeri ter emollescere , „ Ausulta demum ILL. GAUR. z) qui can dem acrimoniam , hoc malum producentem , accusans , dicit : „ Qui hoc vitio laborant , his laxantur solida , flexible , fragile „ in ossibus nascitur . „ Vides itaque , quid distinet experientia ; Quid constet virorum Magnorum autoritate , observationibus & industria ; Nec deesse viros , qui rem loquuntur , ingeniosissimos .

w) HIST. A. 1742. OBS. DE PHYS. & C. 7.

x) Ibid. & HIST. A. 1743. OBS. DE PHYS. & C. 13.

y) I. c. T. VIII. pag. 321. op. 115. 116. 117. 118. 119. 120.

z) I. c. §. 308. pag. 144.

§. VIII.

Antequam vero ad alia descendam, ad eas, de quibus modo dictum est, flexilitatis & fragilitatis causas, has quoque adjicere adjuvat. — GAGLIARDUS nimirum singularem dispositionem, laxiorem corporis habitum huic vitio favere, existimat. Mollia enim & fragilia fieri ossa in iis corporibus censuit, quibus minus dura obtigere. Neque enim omnibus eandem esse duritatem, sed pro vario ossi luci coagmentationis & consolidationis gradu, aliis magis, aliis minus esse dura; id quod ex eo forsitan confirmat, quod in foeminae multo saepius, quam in masculis mollia fiant. — Emolliri autem illud osseum, ut vocabat, gypsum, quippe alcalicum ab acidis, quae in ossem vasa irruunt, indeque esse, quod rheumaticis ac arthriticis cruciatus obnoxii — obnoxii quoque sint ossem emolitioni. Hanc sententiam ILL. VIR. a) Exemplo clariorem reddit. Nobilissima nimirum foemina, juvenis adhuc, sed fluxionibus rheumaticis obnoxia, post saevos & continuos cruciatus habuit omnia ossa emollita, ut in cadavere potius yiderentur constructa callosa quadam carne, in artibus superioribus & inferioribus; Reliqua vero ossa cartilaginea tantum duritie erant praedita; Dum autem rationem dat, cur ossa sic emolliantur, dicit: „Quare cum filamenta ossium dissolito memorato osso, seu gypso succo, rigida amplius non conserventur, ex eo, quia de sua natura mollia ac flexilia sunt, hinc est, ut illis ad primatum statum redeuntibus, omnis duritiei causa cesset, & sic necessario mollia fiant; & magis aut minus, prout ma-

a) ANAT. OSS. pag. 70. & seqq.



„ gis minusve dictus succus osseus , jam concretus , dissolutus
„ est . „ Simili exemplo , quod CELEBERRIMUS LUDWIG in
Panegyri quadam medica sistit , confirmatur hæc sententia . Pro-
ponuntur ibidem observata in sectione cadaveris foeminæ , cu-
jus ossa emollita erant . In præmissâ morbi , quo foemina affli-
cta fuit , historiâ invenis , quod doloribus arthriticis & rheu-
maticis non tantum artuum , sed totius corporis fuerit vexata . Hinc apparet , quanta nostro cum his casibus intercedat neces-
situdo & harmonia : quanta mala , ex eodem fonte promanan-
tia , fuerint observata . Re itaque ita comparatâ , emollitis sic
solidis , non est difficile rationem reddere Phœnomenorum ,
quæ in cadavere conspicere licuit , ubi corpus suâ privatum for-
mâ , varum ac valgum sese exhibuit . Ossa enim , in sano po-
sita statu , sustinendo corpori humano inserviunt ; firmum ful-
crum præstant partibus mollioribus , quæ illis adhærent , nec
possent vasti adeo musculi in corpore humano & animalium ma-
jorum potentiam , quæ adeo valida reperitur , exercere , nisi
duris affigerentur ossibus illorum extrema . Sic ossea illa Tho-
racis crates undique tecta est musculis , quorum extrema suis
inseruntur locis , ut actiones inde derivandæ rite peragantur . Rotundam hic observas figuram , quæ tamdiu servatur , quam
diu legitimus cohaesione gradus & legitima sustinendi ratio
obtinet . Quum vero hæc lex in nostra ægrota fileret ; quum
cartilaginiæ , costarum extrema ossi sterno jungentes , & extrema
costarum initia essent emollita , nec mirum , quod legitima for-
ma non potuerit defendi ; maxime cum vertebrarum theca ,
cui annexuntur costarum capitula , eodem vitio fuisset afficta .
quæ introrsum , dextrorsum & sinistrorsum flexa , costas emol-
litas

litas anteriora versus trudebat, quæ cedentes resistentiam facere non potuerunt, hinc propriâ vi, quippe deperditâ, nil valebant, sed alienæ fæse relinquentes, aliis causis mechanicis maxime adhuc accedentibus, ut actio Musculorum abdominalium, Diaphragmatis, Pulmonum &c. anteriora versus vacillabant, hinc rotundâ thoracis formâ mutatâ, surrexit ad anteriora distensio, ad latera compressio. Simili modo & evidens fit impediti incessus, nec non motus denegati ratio. Ossa enim innominata plane erant mobilia — plane resoluta illorum vincula; ossa pubis per symphysin firmissime conjuncta, ubi in adulto vix apparent vestigia, quod quandam fuerint bipartita, à se invicem deprehendebantur remota. Hæc ossa in statu sano constituta, fixum præbent punctum musculis femora regentibus, nunc autem inter se mobilia, suis nunc privata vinculis, his vicibus fungendis plane fuere inepta, imo extremitatibus innititur ossea hæc compages, quomodo in tali statu, quem descripsi, corpus potuit servari erectum? Nullos itaque motus, nullos incessus institui potuisse, vides. Malæ & deformatae staturæ, eodem modo productæ, nec desunt exempla. DUVERNEY b) describit ex tertio TOMO ACTORUM HAFNIENSIVM mirabilem hominis morbum, qui vigesimo quarto ætatis anno incepit dolere circa pedum talos, dein genua & femorum superiores partes, unde Podagræ laborare credebatur. Post anni spatium dolebat omnibus corporis partibus, ita ut perpetuo decumbere cogeretur. Ossa incipiebant mollescere, atque dolores illi non cessarunt, nisi ubi omnia ossa ita emolita fuissent, ut ceræ instar flecti potuerint absque dolore in

b) TRAÎTÉ des maladies des os. Tom, I, préface pag. 138.



quasvis figuræ. Verum à musculis sese contrahentibus, cum ossa non amplius resisterent, sic imminuta fuit corporis longitudo, ut miser, qui antea justæ fuerat staturæ, jam triennem puerum vix æquaret. Reliquæ tamen corporis functiones, excepto motu, integræ manserunt atque illæstæ, & sic vixit usque ad annum ætatis trigesimum secundum, ultimo autem vitæ mense redierunt dolores, perpetuo manentes ad mortem usque. Quum nunc ostenderim, quid constet experientiâ, ita & dicam, quid declareret Natura.

§. IX.

Quod dentur corpora n^{on} alia, privo quodam, ut ita Iocu^r, instru^cta genio, cuius c^{on}p^{re} singulare præ se ferunt cum hoc corpore miscelam ineundi desiderium, dum alii corpori admista, illud respouunt, illibatum relinquunt, Chemia demonstrat. Sic ex eādem Chemia hujus rei promanant exempla. Acidorum enim cum terris calcareis intima amicitia, seu ut stylo chemico utar, affinitas hanc veritatem Iocuuntur. Acidum enim terræ calcareæ admistum cupidissime illam ingurgitat arripit, & cum illâ unionem facit. Hoc in rerum natura videmus; & quod acidum in corpore ægrotæ obtinuerit, sequens ſyus ostendet. Sed nonne exinde ad corpus humanum concludere licet? Quam pulchra enim prostant ejusmodi Autorum experimenta, quæ sic instituta, dein ad corpus humanum applicata, nunquam fatis admirandos in Medicina habu^ere fructus, quibus ad haec usque tempora ægrotis feruntur solatia atque auxilia? Nulli hinc miramur, cum illud acidum terræ sit amicissimum calcareæ, quod, obtinente tali acrimonia, illam extrahat, & illi nubens, vinculum cum illius glutine solvat, at-

que sic terræ proportionem imminuendo, ossa in molliitem redigantur. Sic & evidens fit, quod tam multi Autores stupendi admirantur. Ita ait ILL. ASTRUC c) „Contingit enim ossa eo pacto emollescere, quotiescumque humor virulentus, quo imbuuntur, solito quidem acrior, mitior tamen, quam in carie, caute dissolvit, quicquid duri, solidi ac vere ossi inest ossibus, cæteras vero partes illæfas dinittit, tendineas, membranofas, vesiculosas & vasculosas, quæ interpositæ sunt. „ Hujus rei rationem quo magis scrupulose quærebat ILL. MORGAGNIUS d) eo pluribus videbatur intricari difficultatibus, ut hic satis generice statuat, à certâ quâdam ichoris, aut corporum naturâ & dispositione rem omnino mirabilem esse repetendam. Haec tenus dicta meam, quam hac de re foveo, mentem declarare credo; sed quomodo mihi illam sistam, clarius dicam. In membranis, in tendinibus, in vesiculis & vasculis &c. ea non obtinet terræ copia, quâ scatent ossa, quâ gaudent cartilaginiæ, quippe quæ proprius ad ossa accedunt; sed fluxilioribus magis partibus ditata est illorum compages, magis larvata, magis obvoluta sunt terrestria, ita ut non adeo evoluta & apprehensibilia sese representent. Hinc talis acrimonia, si qua obtinet, in his partibus non ita facile, non in eâ copiâ invenit, cum quo vinculum & unionem inire possit, amicum. Sic has præteriens intactas relinquit; alias potius adit sibi amicissimas, ossa & cartilaginiæ, cum quibus & prompta & facilis unio fieri potest atque miscela. Illis itaque parcens, has lædit, destruit, aufert. Ita habes naturam, quæ acrimoniam hanc acidam exclamat; ita habes solutum, quod tam multo-

c) De morb. vener. Libr. IV. Cap. III. §. V, pag. 353.
d) L. a. Epist. LVIII. art. 12, pag. 317.




rum Autorum torsit ingenia. Sed quomodo hæc in corpore fuit producta? — Hanc rem non conjecturis, non Hypothesibus superstructam, sed ex ipsâ rerum naturâ demonstratam habeto.

S. X.

Pulcherrima, quam Chemicâ tradit, de fermentatione doctrina evincit, quod omnia corpora animalia, ad motum intestinum suscipiendum, quam maxime sint idonea. Sic docet & PHISIOLOGE, omnes nostros humores in statu etiam sanissimo, in putredinem esse pronissimos. Quantum autem hæc humorum in putredinem aucta fuerit dispositio, ex II°. §vo dictis appareat. Nulla autem fermentatio locum habet, nisi accedat quid, quod corpori communicatum in fermentationem prono, illud in motum intestinum rapiat. Sic apparet, illam materiem, in glandula Thyoidea corruptam, fermenti gessisse munera; quo enim tabo in sanguinem effuso, fermentatio surrexit. Sed quid fit, quando corpus animale aut vegetable fermentare incipit? — Nonne prius acescit corpus, quod fermentat? — Hoc evidenter demonstrat caro, quæ prius acidum spirat, in putredinem abitura; resolutis vero illius principiis, putrefactâ carnis substantiâ, nares foetore afficiuntur. Hac itaque ratione universa sanguinis massâ acescentiâ erat infecta; humores, alteratis sic illorum principiis, per corpus circulantes universum, eas modo partes sibi participârunt, eas modo infestarunt, sibi amicissimas. Sic hæc labes adiit terram, quâ abundant ossa, quâ gaudent cartilagines, eamque extrahendo, soliditatem sustulit & robur. Sic mutata erant corporis solida, mutatis fluidis; sic languebant vires; sic continuavit fermentatio, quæ tandem in pessimam putredinem fuit determinata.

Plenariam hanc putredinem exanthematum docuit eruptio,
 quæ sub ipso quasi contigit mortis articulo. Putridâ enim labo
 infecti humores, in sua resoluti principia, nullâ amplius gaudent
 consistentiâ, cessat cohæsio, siet demum circulus; hinc diffuentes
 & subtilissima intrantes cutis vascula, formant maculas, elevant
 puncta, sub nomine exanthematum venientia. Idem loquuntur livi-
 da puncta in ventriculo & intestinis conspicunda, quæ sphaceli
 seu plenariæ putredinis signa exhibebant. Quare egregie dixit
 ILL. GAUB. e) „ Nata hæc acrimonia, vitæ infestissima, humo-
 „ res dissolvit &c. Dein concludit: „ Hinc febres acutas, in-
 „flammationes, exanthemata, gangrænas, sphacelos, circula-
 „tionis, secretionis, excretionis, omniumque functionum tur-
 „bas creat, sæpe nec naturâ, nec arte superandas. „ Sic &
 insignis perspicitur glandulæ tumor, qui contemplantem ocu-
 lum in admirationem rapuit. Sub omni enim putredine ipsa
 tollitur mixtio, hinc & aër humoribus contentus, suis nunc
 liberatus vinculis, suâ vi undique se se diffundit; sic glandulæ
 structuram, antea jam expansam, nunc magis magisve expan-
 dit; quippe quæ vasis splendet admodum tortuosis, quæ ma-
 joris extensioñis sunt capaciæ; hinc magis evoluta, magisve ex-
 plicata, insignem quoque admittebant expansionem; inde tumor
 jam elevatus ad summum quasi augmenti & magnitudinis fastigium
 fuit perductus, ita ut nulla pene reliqua videretur expansionis capa-
 citas. Quod autem Lien tantam in molem fuerit expansus, vitio
 Hepatis factum est. Lien enim peculiarem præparat sanguinem,
 qui secretioni Bilis, in Hepate contingent, inservit, quique
 per venam splenicam systemati Venæ Portarum, quod in He-

e) I. c. §. 314. pag. 147.



par ducit, amandatur. Hepate nunc obstructo, sanguinis & Liene revehendi impeditur circulus, hinc sensim sensimque accumulatus, illum in eam expansionem, quæ in cadavere fuit observata, rapuit. Sed admiranda sane est glandularum Mefentericarum in substantiam solidam Metamorphosis. Adhanc rem explanandam conferas velim casum, quem in §. III. ex Ill. SWIETENIO adduxi. Quum vero in hac ægrotia talis obtinuerit acrimonia, cuius ope terra ex ossibus fuit extraicta, hinc illa materies, quæ à Natura per solitas excretionis vias è corpore eliminari non potuit, glandulosis adhæsit locis, quæ jam fuére obstructa, & ita fluidioribus partibus semper resorptis, tandem in plenariam soliditatem fuére mutata. Eodem modo Hepatis & Pulmonum structura in idem vitium fuit abrepta. Quomodo autem factum est, quod ossa inferiores extremitates constituentia, carie fuerint afflicta? — Si Humorum in venis circulum consideras; si contemplaris earum indolem, quæ in cadavere putridissima animadvertebatur; res non obscura manebit. Sanguis enim in venis tardius, quam in Arte-riis circulat; actuosa illarum virtus, cuius ope sanguis ad idem principium, ex quo effluxerat, ferri posset, non adeo evidens reperitur, hinc ea velocitate non propulsus, proprio pondere semper deorsum inclinando, moram agebat, & ita plus temporis acquisivit, ut extremitatibus magis inhærere & suā acrimoniā inficere potuerit.

§. XI.

Quis itaque est? cui non ossium fabricam consideranti, in oculos incurrat, admirandum illud vitium in iis existere posse;


& quomodo ex ipsâ ossium naturâ desunta sit I.L. VAN SWIETEN f) sententia : „ Ossa partium mollium morbos pati, „ cum & simile vasorum genus, & eosdem liquores habeant. „ NATURAM vero in ossibus distributione vasorum æque prodigam & liberalem esse, ac in partibus mollioribus, artificio Ruyfchiano confectionum est. Subtilis enim injecta materies ossium vascula, illorum substantiam penetrantia, perreptat, rubicundis tunc temporis undique splendentia punctis. Idem autopsia I.L. VAN SWIETEN g) confirmat; Cum peritissimus Chirugus terebraret magnam corruptorum ossium superficiem, Tarsi scilicet & Metatarsi, plurimis & satis sibi invicem vicinis locis, jucundo vidit spectaculo, post biduum hæc foraminula humescere, Ill. Viro & Chirурgo dein microscopio insipientibus distinctissime apparuit, micare in omnibus his punctis vascula verâ systole & diastole, quæ perfecte respondebant ægroti pulsibus, eodem temporis momento in carpo exploratis. Sic ossa, prout in sceleto conspicuntur, non arida sunt, sed succulenta ac pluribus vasis irrigata, quæ & per ipsam ossis substantiam, & in cava illorum succos dedueunt. Hoc jam ita notavit HIPPOCRATES h) dicens : „ Et habet os in se multas carnes humidas, „ quas si quis digito conterat, ex ipsis sanguis prodit; insunt „ quoque in osse venulae tenues, cavæ, sanguine plenæ. „ Quorum non ignarus MAGNUS BOERHAVIUS, Ruyfchianis injectionibus convictus, hæc aphoristice i) sic nobis reliquit: „ Habant ossa periostium, externa convexa ambiens, vas

f) I. c. Tom. I. §. 513. pag. 907.

g) I. c. Tom. I. §. 253. pag. 412.

h) De cap. vuln. cap. II. CHART. Tom. XII. pag. 116.

i) Aphoris. §. 520.



„ arteriosa in cellulas, inque medullarem substantiam ferens,
 „ venosa excipiens, magna, parva, numero infinita. „ Inde &
 evidens fit, & suadet analogia, vasa ossium venosa esse in de-
 bita proportione Diametrorum cum suis arteriolis; sicuti igitur
 superfluam terram in statu fano, ne os in immensum increbat,
 vasa venosa continuo reducunt, ita & substantiam ossisliquatam,
 quo minus resorbent, quid impedit? — Hoc ratiocinium ex-
 perientia habes suffultum. ILL. MORAND k) in urina foeminæ,
 cuius in paragrapho VII^{mo} injecta est mentio, tum præsertim
 temporis magnam substantiæ cretaceæ quantitatem invenit, cum
 ejus ossa sensibilem valde paterentur decompositionem. Exa-
 ctius adhuc rem determinat CL. HERISSANT l) experimentum,
 ubi in urina filiæ, ex malo venereo exostosi femoris, & carie
 Tibiæ laborantis, præter ordinariam terram in acido insolubi-
 lem, aliam cretaceam copiâ fatis insignem solubilem deprehen-
 dit. Ut autem fibræ fiant fatis fortes, satisque robustæ, debet
 atesse materies debita illis apponenda. Hæc est illa, quæ om-
 nium viscerum & vasorum actiones passa, juxta sani corporis le-
 ges ultimæ elaborationis perfectionem adepta est. Sed dum
 fibræ nimis debiles supponuntur, & omnium vasorum in fluida
 contenta actio à justo fibrarum robore pendet, omnes functio-
 nes crudum ingestum permutantes in nostram naturam minus
 sunt efficaces. Hinc in tali corpore per vires proprias non po-
 terit elaborari & præparari ultima illa materies, quænutrimento
 inservit. Ita circulum quidem reliquis cum humoribus legit

k) Mem. de l'Acad. des sciences 1758. pag. 426.

l) Mem. de l'Acad. de chirurg. Tom. I. pag. 57.


hæcce

Hæcce materies : Apportatur etiam ad ultima vasorum extrema, sed non apponitur, non applicatur illis locis per ipsius vitæ actiones depastis, quippe male præparata non quadrat, quam & vasorum vis nimis debilitata ulteriori præparationi subjicere necit. Hinc deposita, sed à vasis venofis resorpta circulum relegit, usque dum per solitas excretionis Vias é corpore eliminatur. Sic & terrea illa materies ab acido ex ossibus extracta, & à vasis dictis inhalata, simili ratione é corpore exit. Hac autem labe infectis humoribus; affectis ab hoc acore solidis, quomodo his afferenda medela ? Hac de re sequens aget paragraphus.

S. XII.

In complicatissimo morbo , ubi omnia mala jam sunt clamata, quot hic removenda obstacula, quot tollenda impedimenta, quot superandæ difficultates ? — Ad suos enim quæque reducere symptomata ortus , quanto labore, quanto scrutinio hic opus est ? Aegri enim præsentem statum tollere & in sanum mutare , medentis est officium ; quo magis vero morbus à statu naturali recedit, eo major, eo periculosior existit, eo quoque pluribus implicatus est curandi difficultatibus. Quum vero hæc ita sint, quid in tali casu faciendum ? Eo maxime dirigenda est curandi ratio, ut illa symptomata, nisi mitigentur, nisi fugentur, interitum secum ferentia, prius tollantur. Ex antecedentibus vero patet , decomposita fuisse cartilaginum & ossium principia, & putridam humorum diathesin jam fuisse exortam. Quibus ponderatis, omnia conamina, omnes eo intendere opportet nervos, ut patredini in humoribus oriundæ, summâ vi, summa potentia resistatur ; i. e. ut constituentia massam hu-

E



morum principiâ à se invicem remota , nunc iterum pristinum cohæsionis gradum acquirant . Dum sic obviam itur putredini , resistitur & acido , sub primâ ejus nato origine , quod solidorum emollitionem producere , atque augere valet . Eodem ex fonte ipsæ solidae partes , quarum laxata est cohæsio , sua hau- riunt auxilia . Sic redditur his deperdita cohæsio , amissa confi- stentia , fractum robur , dum illorum particulæ magis sibi ad- unatæ , in majorem contactum rediguntur . Quæ autem sunt instrumenta , quibus hoc opus perficere delectat ? Quæ remedia , quibus afferri potest medela ? Hunc in finem vocanda sunt in auxilium antiputridâ & roboranti virtute prædicta remedia . Ta- lia ex fonte Pharmaceutico profluent numero infinita , huic scopo inservientia . Omnia omnino vero egregia splendet Corticis Peruviani virtus & efficacia . Quanta enim præstet , quam potentissima sit ejus putredini resistendi virtus , Autorum observationes uberrime loquuntur . Quantum polleat ad robur amissum restaurandum , neminem Medicorum fugit . Hac de re qui studiosius erudiri cupit , aeat egregios viros , DE HÆN , SYDENHAM , PRINGLE &c ubi hæc dicta confirmata reperiun- tur . Optima autem Corticem exhibendi ratio est , si datur in substantia , quippe collectis viribus suas exferere potest virtutes . Sic propinatur quater vel & pluries ad drachmam dimidiam pro dosi de die . Si vero illum in substantia datum vires ventriculi ferre non possent , tunc adhibendus est sub forma Infusi ; sed semper præferenda in substantia dandi est ratio . Quum nunc ita corticem exhibendi factum est initium , tunc sensim sensim que ejus dosis augeri , & ad drachmam unam , imo adhuc ulte- rius extendi potest . Nec minori diligentia eo est allaborandum , ut ingesta sint talia , putredini resistentia . Maxime vero ne-



cessit est, ut quotidie renovetur aër, quippe qui inclusus & stagnans multum fane ad putredinem augendam confert. Fracta itaque morbi atrocitate, imminutis & remittentibus symptomatibus, tunc materies morbi soluta, per evacuantia ē corpore est eliminanda; quæ in corpore retenta, pristina produceret mala. Hac itaque ratione salutis spes ægrum affulget, æque ac medentem. Quibus vero semper adauictis, quibus eludentibus artis auxilia, non potest non morbus in lethalem determinari finem. Sane si qua spes salutis reliqua est, hanc procurat, hanc conciliat admiranda corticis virtus & efficacia. Hæc itaque sunt, quæ speciminis loco differere volui. Sic utere, sic mecum fruere hisce, donec meliora addat longior ævi diligentia.

F I N I S.



* * *

Glücklich! der unter einsichtigen Männern im Lenze des Alters
In den der Heilung geweihten Tempel Galenens zu treten,
Unter weltrühmlichen Männern zu Zinnen der Ehre zu steigen,
Von Dir, Du welten beglückende heilige WEISHEIT! erlaubt ward.

Glücklich! der niemal mit frostigem Geiste die lehrenden Hallen
Schamlos entheiligte; der stets mit Bienenbegierde, der Lehrer
Worte eintrank. Den die scheidende Sonne Gedankenvol nachlies,
Den die verjüngete Sonne vol weiserer Schlässe begrüßte;
Dem, nie gefeffelt von Galliers Helden entnervenden Lüsten,
Männlichen Thaten treu, Jahre in wichtigen Denken verschwanden.

Glücklicher! Der den gesegneten Aerntetag seiner Verdiensten
Werden sieht. Du siehst ihn werden Freund, Weisheits-Verehrer!
Dein ist der frohe Tag; Dein sind die grünen nie welkenden Lorbeer.
Schmücke die Schlässe; und segnen von heiter'n Gewölcke hienieden
Deiner Bemühung der grosse VANSWIETEN, und der uns unsterbliche BOERHAV.
Dann rollt der Wonnenboth Rhein! mir auf seinen gefälligen Rücken
Deinen verbreiteten Ruhm an den Dünen der Münsterischen Lippe;
Dann quillt erneuerte Wonne den Busen, und seelige Freundschaft.

Zum Andenken

Deines aufrichtigen Freundes

T. A. WINTERS Med. Cult.

OZPONENS.

X2369882

WOB



18
18

B. C. D.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
MEMORABILEM
CASUM IN VIRGINAE
DE
EMOLLITIONE OSSIUM
CUM
EPICRISI
PRO
GRADU DOCTORIS
LEGITIME CONSEQUENDO
DIE XXVI. AUGUSTI MDCCCLXXV.
H. L. Q. C.
SOLENNITER DEFENDENDA
A
FRIDERICO GUILIELMO FRIES
NEOSTADIANO AD HAARDAM.
ARGENTORATI
STANNO KÜRSNERIANO.